



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Philippi Clüveri[i] Germaniæ Antiquæ Libri tres**

**Clüver, Philipp**

**Lugduni Batavorum, 1631**

Cap. III. De Vindeliciæ situ, finibus, ac populis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44541**

*Pænorum ullo Veragri, incolæ jugi ejus, norunt nomen inditum: sed ab eo, quem in summo sacra-  
tum vertice Pennum montani appellant. Ex his igitur tot tantisque optimorum vetustissi-  
morum auctorum testimoniis atque documentis certum jam fit, omnem hanc Illyricæ  
gentis partem, quæ inter Germaniam & Italiam, item inter Galliam & Pannoniam, jux-  
ta Danubium flumen, & in Alpibus porrecta, antiquissimis sæculis dictam fuisse uno no-  
mine TAURISCOS; nempe à situ regionis, Alpibus superstratæ montibus: quos illi  
suâ lingvâ adpellabant THITAUREN; quemadmodum alio vocabulo THIAL-  
BEN, & ALPEN: quæ vocabula etiam nunc apud incolas horum montium Germanos  
integra durant; etiam ultra Dravum in Carinthiâ ac Stiriâ, & trans Danubium in Sve-  
viâ; ut in Germaniæ montium descriptione ostensum. Romani inde omnem Tauriscorum 10  
gentem dixerunt ALPINOS, & INALPINOS populos, vocabulo æquipollenti: quo  
haud dubiè & ipsi sibi dicebantur THIALPISCHEN, & ALBISCHEN. neque  
enim aliunde nomen habuit ALBICORUM gens, quæ monte supra Massiliam incoluit;  
teste Cæsare, belli civil. comment. 1: quos inter Alpinos populos diversis verbis recenset  
Strabo, lib. iv. apud quem tamen vitiatum vocabulo hætenus leguntur Α'λβίοιοι, pro Α'λ-  
βίοιοι. Alpium verò nomen hucusque extensum fuisse, idem testatur auctor, ibidem, his  
verbis: Ο' δὲ Ἐμεοίκων λιμὴν ὄρεός ἐστιν ἑμεοίκων ἀδὲ ποταμὸς ναυσίν. διέχεται δὲ ἂν ἰσπύλειος  
μικροῦ πλείους ἢ ὀκτακσίους σταδίους. τὴν τεύχην δὲ ἤδη μέχρι Μαοσαλίας, καὶ μικρὸν περὶ σωτήρων, ἔ-  
των Σαλῶν ἐστὶν οἰκὴ πᾶς Ἀλπεὺς πᾶς ὑπερκειμένης, καὶ πᾶς τῆς αὐτῆς ὀρεγίας ἀναμίζει πᾶς  
Ἑλλήσιν. id est: Portus Monæci neque magnas neque multas capit navis. distat ab Antipoli 20  
paullo amplius CC stadiis. Hinc jam ad Massiliam usque, paulloque ultra, Salyes incolunt ora  
maritimæ imminenteis Alpes, partemque litoris, immixti Græcis. Atque hinc nata illa fa-  
bula apud Melam, lib. II, cap. v, de litore hujus oræ lapideo, in quo Herculeum, contra  
Albionem & Bergiona, Neptuni liberos, dæmnicentem, cum tela descissent, ab invocato Iove  
adjutum imbre lapidum ferebant antiqui Græcorum Massiliensium fabulatores. nam duo  
ista vocabula alben & bergien, nihil aliud incolis significasse, quàm quos monte adpel-  
lant Latini, Germaniæ antiquæ lib. I, cap. VIII, docui. Ceterum Græci, à quibus id  
habet Strabo, ob lingvæ morumque similitudinem, de quâ pluribus egi in Germaniæ  
libro primo, Gallicam gentem Tauriscos esse arbitrati sunt, postquam ab Alpibus, an-  
tiquâ sede, in Pannoniam ad Scordiscos transmigravissent. Rectius Appianus in libro, 30  
quem de Illyricis bellis conscripsit, utramque gentem, Tauriscos simul atque Scordiscos,  
inter Illyricas gentes connumerat. Quo tempore Taurisci in Pannoniam migraverint,  
ostendit Plinius, lib. III, cap. XX, his verbis: Rhetos Thinsorum prolem arbitrantur; à Gal-  
lis pulsos, duce Rheto. Cui consentiens Justinus, lib. XX: Galli, inquit, quum in Italiam ve-  
nissent, sedibus Tuscos expulerunt; & Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Vergamum,  
Tridentum, Vicentiam condiderunt. Tusci quoque, duce Rheto, avitis sedibus amissis, Alpes oc-  
cupavere; & ex nomine ducis gentes Rhetorum condiderunt. Item Livius, lib. V, de iisdem  
Tuscis loquens, Alpinis quoque, inquit, ea gentibus haud dubiè origo est; maximè Rhatîs:  
quos loca ipsa efferarunt, ne quid ex antiquo, præter sonum lingvæ, nec eum incorruptum, reti-  
nerent. Narrat hinc de transitu Gallorum è Galliâ in Italiam; qui Prisco Tarquinio Romæ re- 40  
gnante, id est, circa annum ante natum Jesum 10 C, factus. Rhatî igitur, qui ex argumen-  
to lingvæ haud dubiè fuerunt Tuscæ originis, Tauriscos tunc, id est, magnam Alpinorum  
Illyriorum partem, inter Dravi Rheniq; fonteis incolentem, sedibus pulsos, in inferiora Il-  
lyrici abire coegerunt. Atq; hæc de genere ac nomine TAURISCORUM disseruisse sufficiat.*

Divisa fuit universa gens in complureis nationes, sive populos: quorum plerique re-  
censentur à Plinio, capite proximè dicto; ejus inscriptio est, *De Alpibus, & gentibus Al-  
pinis*: & à Strabone, lib. IV, in descriptione Alpium. Verba apud Plinium, dicto loco,  
hæc sunt: *Incolæ Alpium multi populi: sed illustres à Polâ ad Tergestis regionem, Secusses, Sub-  
ocrini, Catili, Monocaleni; juxtaque Carnos, quondam Taurisci adpellati, nunc Norici; his  
contermini Rhati & Vindelici: omnes in multas civitates divisi.* De unis VINDELICIS 50  
atque NORICIS, duabus multo maximis Tauriscorum partibus, inter Danubium &  
Italiam sitis, hoc opusculo nunc agam. ac primo loco de Vindeliciis.

## CAP. III.

## De VINDELICIÆ situ, finibus, ac populis.

**V**eti VINDELICIÆ fines posterioribus diu temporibus vulgò ignorati fue-  
runt; donec doctissimus peritissimusque patriarum rerum auctor, M. Velleus  
Augustanus, hac nostrâ ætate in eo libro, quem de rebus Augustanis Vindeliciis  
conscri-



conscriptis, clarius eos aperuit. Nos breviter eosdem veterum auctorum testimoniis firmabimus.

Primum autem omnium notandum est, quamquam *Vindelici* diversissimi fuerint generis populi à *Rhetis*; tamen omne illorum solum, postquam à Romanis terræ inter Danubium Italiamque Augusti auspiciis debellatæ fuerunt, sub unius RHÆTIÆ nomine comprehensum fuisse; à Rheno, seu lacu Brigantino ad Aenum usque amnem, terminum Vindelicos ac Noricos inter. Hinc illud Ptolemæi, lib. 11: Ραίλιας καὶ Οὐινδελικίας ἑστίς. Τῆς Ραίλιας ἡ ἰσθμὸς δυσμικὴ πρὸς τὴν ἑρμῆν, καὶ μετὰ τὴν κεφαλὴν τῆς Ραίλιας καὶ τῆς Δαναβίης ποταμῶν [ἑραμῶν] ἡ ἵερὴ κρήνη, μετὰ τῆς Δαναβίης ποταμῶν, ὅσοι τῶν πηγῶν μέχρι τῆς ἑρμῆς ἄνω ἐκτετατῆς. ἡ ἵερὴ ἀνατολικὴ πρὸς τὴν ἑρμῆν, αὐτῶν τῶν ἄνω ποταμῶν ἡ ἵερὴ μεσημβριανή, πρὸς τὴν ἑρμῆν ἔστι τῶν ἱερῶν Ἀλπίων ὄρεσιν. id est: *Rhetie latus occidentale terminatur Adulæ monte, & lineâ inter Rheni Danubiique fontis ductâ: septentrionale, parte Danubii, quæ est à fontibus ad Aeni usque confluentem: orientale latus, ipso Aeno flumine: meridionale, Alpibus, quæ hinc super Italiam extenduntur.* Et paulo post: Τὸ Νωρικὸν περικελευτῆται ὅσοι ὄρεσιν ἀνω ποταμῶν. id est: *Noricum terminatur ab occasu Aeno flumine.* Et lib. VIII, Europæ tabulâ v: οὐκ ἐπιπέδιον πρὸς τὴν ἑρμῆν περικελευτῆται Ραίλιας καὶ Οὐινδελικίας, καὶ Νωρικόν. περικελευτῆται ἡ ὅσοι ἀρκτῶν τῆς μεγάλης Γερμανίας ἀπὸ τῆς Δαναβίης. id est: *Quinta Europa tabula comprehendit Rhetiam, Vindeliciam & Noricum. terminatur autem ab septentrionibus Germaniâ Magnâ, juxta Danubium amnem.* Sic Tacitus, annal. lib. 1: *Veterani hanc multo post in Rhetiam mittuntur; specie defendendâ provincie ob imminentiâ Suevos.* Hi nulli alii, quàm Hermunduri, aut Narisci, Marcomannique, finistram Danubii ripam colentes: in cujus amnis dextrâ ripâ castra Romanorum erant præfidiorum. Idem auctor in libro de Germaniâ: *Et hac quidem pars Suevorum in secretiora Germaniæ porrigitur. Propior (ut, quo modo paulo antè Rhenum, sic nunc Danubium sequar) Hermundurorum civitas; fida Romanis: eoque solis Germanorum non in ripâ commercium, sed penitus, atque in splendidissimâ Rhetia provincia coloniâ. passim sine custode transeunt: nempe Danubium, Rhetie provincie terminum ab septentrionibus, ad Augustam Vindelicorum; quam heic splendidissimam Rhetie coloniam adpellat. Idem, historiar. 111: Trahuntur in partes Sido atque Italicus, reges Suevorum; quibus vetus obsequium erga Romanos, & gens fidei commissa patientior: opposita in latus auxilia, infestâ Rhetiâ; cui Porcius Septimius procurator erat, incorrupte erga Vitellium fidei. Igitur Sextilius Felix cum alâ Taurinâ & VII cohortibus, ac Noricorum juventute, ad occupandam ripam Aeni fluminis, quod Rhetos Noricosque interfuit, missus. Historiar. lib. IV: Sextilius Felix cum auxiliariis cohortibus per Rhetiam irrupit. Historiar. 1: *Dua Mauritanie, Rhetia, Noricum, Thracia. Solinus, cap. XXIV: Si Thracia sit petenda à Galliâ, excipit ager Rheticus, optimus & ferax, Brigantino lacu nobilis. inde Noricus, frigidus, & parcius fructuosus. Plinius, lib. IV, cap. XIII: Græci, & quidam nostri, XXV M passuum oram Germaniæ tradiderunt. Agrippa cum Rhetiâ & Norico longitudinem 100 LXXXVI millia passuum, latitudinem 200 LXVIII millium; Rhetia propè unius majore longitudine, sanè circa excessum ejus subactæ. Rhetie latitudinem heic Plinium atque Agrippam intellexisse eam, quæ est inter Danubii fontem & confluentem**

40 Aeni, Germaniæ lib. 1, cap. XI, docui. Apud Dionysium Afrum hi leguntur versus:

Ρῆνα δὲ ἐξείης Ἰντιπιδεῖ) ἱερὸς ἱστῶν.  
 Τῆ ἰσθμὸς πρὸς βορέην πρὸς τὴν ἑρμῆν ἑρμῆν ἑρμῆν,  
 Γερμανοὶ, Σαρμάται τε, Γέται δ' ἄμα, Βασάρται τε.  
 Πρὸς τὴν ἑρμῆν Γέρραι, καὶ Νωρικὸν ἄσπερον ἑρμῆν,  
 Παννονιοὶ, Μυσσοί τε.

Post Rhenum exoritur immensus Ister.  
 Hujus ad boream porrectæ gentes habitant,  
 Germani, Sarmataque, Getaque simul, Bastarnaque:  
 Ad austrum verò Gerra, & Noricia opida munita;  
 Pannonii, Mysique.

50 Rhetos eum intelligere per *Gerrarum* vocabulum, inde perspicitur, quòd Germanis, lævam Danubii ripam colentibus, eos opponit in dextrâ amnis ripâ, statim à fonte ad Noricos usque. At unde ei id vocabuli natum, haud equidem dispicio. namque nullibi aliàs reperitur. Mendum librariorum esse dixerim; ni antiquus ejus scholiastes Eustathius id jam tum pro genuino auctoris agnovit: ut & Festus Avienus atque Priscianus, qui geographica Dionysii Latino carmine reddiderunt. ex quibus Avienus ita canit:

He gentes Istrum, quæ se plaga dura bootis  
 Porrigit, incumbunt. Medii de parte diei  
 Gerrha habitant. Gerrhas attingunt oppida lætè



*Norica. & immodica rursus loca pingvia gleba  
Pannonia exercet.*

Priscianus verò ita:

*Tot dirimit gentes aquilonis partibus Ister.  
Hujus ad australes terras Gerraque feroces,  
Noricique colunt bellaces, Pannonique.*

Verùm *Rhatos* dictos fuisse *Gerrhas*, minimè credibile est. Et cur Dionysius obscuriore vocabulo in gente tam nobili atque clarâ uteretur, haud video; utiq; quum vox *Ραυτι* metro etiam conveniebat. Sic igitur statuo: antiquum illud esse mendum in exemplaribus ejus.

Atque *Rhætiam* provinciam habitam fuisse ad Danubii usque ripam, ex hæcenus citatis satis manifestò liquet. Diversi fuisse generis *Vindelicos* à *Rhætis*, item illos ad Danubium pertinuisse, hos verò minùs, nunc ostendendum erit. Sex. Aurel. Victor, in Augusto: *Iste Cantabros, & Aquitanos, Rhatos, Vindelicos, Dalmatas, numero provinciarum populi Romani conjunxit.* Eutropius, lib. vii, de eodem Augusto: *Romano adjecit imperio Aegyptum, Cantabriam, Dalmatiam, Pannoniam, Aquitaniam, Illyricum, Rhetiam, Vindelicos, & Salassos in Alpibus.* Svetonius, in eodem Augusto: *Domuit autem partim ductu, partim auspiciis suis, Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam, cum Illyrico omni: item Rhetiam, & Vindelicos, ac Salassos, gentes in alpinas.* Et in Tiberio: *Exhinc Rhetico Vindelicoque bellum gessit.* & mox: *Rhetico atque Vindelico gentes Alpinas subegit.* Velleius Paterculus, lib. ii: *At Tiberius Caesar Rhetiam & Vindelicos, ac Noricos, Pannoniamque, novas imperio nostro subjunxit provincias.* Et postea, ubi milites ita Tiberio acclamant: *Ego tecum, imperator, in Armeniâ, ego in Rhetia sui: ego in Pannoniâ, ego à te in Vindeliciis, in Germaniâ donatus sum.* Tacitus, annal. lib. ii: *Arminius manu, voce, vulnere, sustentabat pugnam. incubueratque sagittariis, illà rupturus, ni Ratorum Vindelicoorumque & Gallica cohortes signa objecissent.* Plinius lib. iii, cap. xx: *Iuxta Carnos, quondam Taurisci adpelati, nunc Norici. his contermini Rheti & Vindelici.* Strabo lib. iv, de Alpibus: *Εἰς τὴν τὰ πρὸς ἑὸν μέρος τῶν ἰσθμῶν, καὶ τὰ Ἰνδρῶν πρὸς τὸν Ῥαυτι καὶ οὐνδελικῶν κατέχουσιν.* id est: *Hinc montium parteis, quæ ortum spectant, quæque ad meridiem vertunt, Rheti ac Vindelici tenent.* Horatius, carm. lib. iv, odâ iv:

*Videre Rheti bella sub Alpibus  
Drusum gerentem, & Vindelici.*

Falsum hæc esse, quod Vellerus docet, expungendam esse particulam disjunctivam &, satis apertè ipse testatur Horatius eodem libro postea, odâ xiv; ubi disertè inter *Rhatos* & *Vindelicos* distinguit, his verbis de Augusto canens:

*Quem legis, expertes Latine  
Vindelici didicere nuper,*

*Quid Marte posses.*

Et mox:

*Major Neronum mox grave prælium  
Commisit; immanisque Rhatos  
Auspiciis pepulit secundis.*

*RHÆTI* igitur, ut supra dictum, *Italica* fuere gens, à *Tuscis Rhæto* duce orti: *VINDELICI* verò pars *Illyriorum*. Terminum equidem inter utrosque statuit Ptolemæus *Lychum* flumen, quod vulgò nunc dicitur *die Lech*. ο' Λυκίας, inquit, πρὸς τὸν Δαυβιον ἐμβαλλῶν, διορίζει τὴν Ραυτιανὴν ἀπὸ τῶν οὐνδελικῶν: id est: *Lycias flumen, quod in Danubium evolvisur, Rhetiam à Vindeliciâ determinat.* Atque hinc lib. viii, in Europæ tabulâ v, hoc eas ordine connectit, à fonte Danubii exordiens; ο' πέμπτη ἡ πένταξ ἡ Εὐρώπης περιέχει Ραυτιανὴν καὶ οὐνδελικῶν καὶ Νορικῶν, καὶ τὰς δύο Παννονίας. id est: *Quinta Europæ sabula continet Rhetiam, Vindeliciam, Noricum, duasque Pannonias.* In Notitiâ imperii Romani, item in itinerario Antonini sæpius *Prima & Secunda* leguntur *Rhetia*; ut & apud Paullum Diaconum, lib. ii, cap. xv. Quam non posterioris demum sæculi esse universâ *Rhætia* inter Danubium & *Italiam*, item inter lacum *Brigantinum* & *Aenum* amnem, divisionem, ex Taciti patet libro de Germaniâ; ubi hæc leguntur verba: *Germania omnis à Gallis Rhetiisque & Pannoniis Rheno & Danubio fluminibus separatur.* Hinc nostri sæculi geographi *Rhetiam* Ptolemæi inter lacum *Brigantinum* & *Lychum* amnem primam esse voluerunt: *Vindeliciam* verò inter *Lychum* & *Aenum*, *Rhetiam* secundam. Et credo ego equidem, *Lychum* à Romanis limitem fuisse constitutum inter duas *Rhætias*. id quidpe haud perinde obscurè ex Antonini perspicitur itinerario: ubi loca versùs *Aenum* & *Noricum* in secundâ computantur *Rhætia*; loca verò versùs fonteis *Danubii* & *Brigantinum* lacum, in *Primâ*. & haud dubiè eadem hæc observata fuit ratio, quæ



- quæ in aliis Romanorum provinciis, Belgicis, Germaniis ceterioribus, Mœsis: ubi Prima dicta fuere, quæ alio vocabulo Superiores; & Secunda, quæ Inferiores. nec æquabilior divisio, quam per Lychum, nec aptior terminus hoc discipi potuit. At malè atque imperitè Vindelicorum nomen ab Rhetorum vocabulo per Lychum distinxisse Ptolemæum, cum alii, quos mox videbimus auctores, tum ipse postea satis apertè ostendit; dum opida Bojodurum, Augustam Vindelicorum, Abudiacum, & Cambodunum in unâ recenset Vindeliciâ: quæ hodiè vocantur Inſtat, Augſtburg, Fuffen, & Kempten. quorum primum ad Aeni confluentem in finibus Norici, malè à Ptolemæo Vindeliciæ tributum; reliqua inter Lychum & Rhenum seu Brigantium lacum sita sunt. Unde pater, Vindelicos omnem tenuisse Danubii ripam à fontibus ad Aeni usque confluentem. Attestatur idem & Strabo, dicto lib. I V, his verbis: Εξῆς ἡ πρὸς τὴν ἑα μέρη τῆς Ἀλπεων, καὶ τῆς Περσέφοντα πρὸς νότον, Ῥαιπί καὶ Οὐινδελικῶν κατὰ τὴν ἀνατολήν, ἑλκυστικῶν καὶ βοιωτῶν. Πηλικῶν καὶ τῶν ἐκείνων πεδίοις. οἱ μὲν οὖν Ῥαιπί μέχρι τῆς Ἰταλίας καθήκοντες, τῶν οὐρανῶν καὶ Κωμῶν. Διατείνονται καὶ μέχρι τῶν χωρῶν, δι' ὧν ὁ Ῥῆνος φέρεται. οἱ ἡ Οὐινδελικῶν καὶ Νωρικῶν τῶν ἐκείνων πεδίοις κατὰ τὴν ἀνατολήν. id est: Hinc Alpium partis, quæ ortum spectant, quæque ad meridiem vergunt, Rhæti ac Vindelici tenent, Helvetiorum & Bojorum contermini, quorum campis imminet. Rhæti usque ad Italiam pertinent, supra Veronam & Comum. pertingunt etiam ad loca, per quæ fertur Rhenus. Vindelici verò & Norici exteriora montium tenent; magnâ ex parte. Soli Vindelici Bojis erant contermini, Aeni ripam, ut infra ostendam, tunc colentibus: Helvetiis etiam Rhæti, ad Rhæni ripas, antequam is Brigantino lacui immergatur. Idem auctor, lib. VII, de dicto lacu: Προσέστιον ἡ τῆς λίμνης, ἐπὶ ὄλκρον μὲν οἱ Ῥαιπί, τῆς ἡ πλείον οἱ ἑλκυστικῶν καὶ Οὐινδελικῶν. πάντες, τὸ πλεόν ἡ ἑλκυστικῶν καὶ Οὐινδελικῶν, οἰκῶσιν ὄροσιν. Ῥαιπί καὶ Νωρικῶν μέχρι τῆς Ἀλπείων ὑπερβολῶν ἀναχθῆναι, καὶ πρὸς τὴν Ἰταλίαν πεδύων, οἱ μὲν Ἰνσάβροις ἀνατολῶντες, οἱ ἡ Κάρνοις, καὶ τῶν περὶ τὴν Ἀκυλῆϊαν χωρῶν. hoc est: Lacum Rhæti exiguâ parte, plurimâ Helvetii & Vindelici attingunt. omnes, magis tamen reliquis Helvetii & Vindelici, montanas incolunt planities. Rhæti autem ac Norici ad Alpium usque summa adsurgunt, versusque Italiam vergunt; illi Inſubribus, hi Carnis & locis circa Aquileiam contermini. Rhæti lacum Brigantium attingebant, quâ Rhenus incidit. reliquum ejus omne Vindelici, ad Alemannorum usque confinium, de quo Germaniæ lib. III, cap. IV, mihi pluribus dictum. lavam lacus ripam tenuere Helvetii. Porro Vindelici ὄροσιν colebant, ad Danubium usque; Rhæti ipsas Alpium summitates ad Inſubreis usque: Norici verò à Danubio ad Carnos usque; quorum fuit Aquileia. Hinc Plinius, lib. III, cap. XX: Noricis contermini Rhæti & Vindelici. Nempe hi ἐν τῶν ὄροσιν, ad Danubium usque; illi in ipsis Alpibus. Hinc illud Paulli Diaconi, dicto lib. II, cap. XV: Inter hanc & Svarviam, hoc est, Alamannorum patriam, quæ versus septentrionem est posita, duæ provincie, id est, Rhætia prima & Rhætia secunda, inter Alpes consistunt, in quibus propriè Rhæti habitare noscuntur. nempe in ipsis Alpibus. aliàs falsissima hæc erit opinio, & error evidentissimus. Plinius, eodem libro, cap. XIX: Fertini, & Tridentini & Belunenses, Rhætica opida: Rhætorum & Euganeorum Verona. Ex his Fertinorum opidum nunc dicitur Feltre; Tridentinorum Trento; Belunensium, Civitas de
- 40 Belun, Ptolemæo Βελῶνον, Belunum. Idem Plinius, dicto cap. XX: Rhætorum Vennonetes Sarunetesq. ortus Rhæni amnis accolunt. Tacitus, in libro de Germaniâ; Rhenus Rhætiarum Alpium inaccesso ac præcipiti vertice ortus. Sed & in Antonini itinerario loca ad Danubium vergentia Vindeliciæ titulo subscribuntur.

Limites igitur VINDELICIS fuere, ab occidente Brigantinus lacus; quo ab Helvetiis submovebantur: ab septentrionibus; quâ Germani primùm Marcomanni, & Narisici, deinde, in Marcomannorum sineis transgressi, Galli Alemanni fuere contermini, Danubium flumen: ab oriente Aenus amnis: quo à Noricis determinabantur. At à meridie quibus sinibus à Rhætis fuerint distincti, perdifficile est dictu: quandoquidem non modò in opidis sed ne nationibus quidem enarrandis inter se consentiunt auctores; ut

50 mox videbimus.

Fuisse complures eorum nationes, testatur disertè Plinius, dicto lib. III, cap. XX. Iuxta Carnos, inquit, quondam Taurisci adpellati, nunc Norici: his contermini Rhæti & Vindelici. omnes in multas civitates divisi. Subjungit paullo post inscriptionem è trophæo Alpium: ubi hæc refert verba; Gentes Alpina devictæ: Triumpilini, Camuni, Vennonetes, Isarci, Breuni, Naunes, Focunates; Vindelicorum gentes IV; Consuanetes, Virucinates, Licates, Catenates. Ergo IV tantum fuere in univèrsum Vindelicorum nationes? Cave credas. nam, ut Licates à Lico flumine, sic Isarci ab Isargo seu Isaro amne, qui vulgò nunc est Iser, nomen accepere. hujus verò fons etiam multo propinquior Danubio, quàm fons Lici; eoque argumento multo justius Vindelicorum censendus. Sed & Brennos & Genaunos (quorum hi corruptè



Plinio *Nannes* pro *Genannes*) Vindelicis adscribit Horatius, dictâ odâ XIV:

*Quem legis expertes Latina  
Vindelici didicere nuper,  
Quid Marte posses. Milite nam tuo  
Drusus Genannos, implacidum genus,  
Breunosque veloces, & arceis  
Alpibus impositas tremendis  
Dejecit acer, plus vice simplici.  
Major Neronum mox grave praelium  
Commisit; immanisque Rhatos  
Anspiciis repulit secundis.*

10

Verùm tamen ab hoc iterum dissentit Strabo, dicto lib. IV, his verbis: Οἱ δὲ Οὐίνδελικοὶ καὶ Ναννοὶ τῶν ἑσπερίων ποταμῶν κατὰ τοὺς ὄρους τῶν Βρευῶν καὶ Γενανῶν, ἤδη τῶν Ἰλλυριῶν. id est: *Vindelici & Norici exteriora Alpium tenent magnâ ex parte, cum Breunis & Genannis: quorum hi jam Illyrici sunt generis.* Sed pro Horatio iterum facit Ptolemæus in descriptione Vindeliciæ, his verbis: Τῆς δὲ Οὐίνδελικίας τὰ μὲν ἀρκυκλώματα κατὰ τοὺς ὄρους τῶν Βρευῶν καὶ Κονσανῶν. ἔτι Βενλαῶν. ἔτι Βρευῶν. καὶ τῶν Δουκίων ποταμῶν Λικαίων. id est: *Vindelicia septemtrionalia incolunt Runicata. sub his Lenni, & Consuante: dein Benlauni: mox Breuni; & juxta Lyciam amnem Licatii.* Corrige heic Κονσανῶν in Κονσανίτην, *Consuanitæ.* sunt quidpe Plinii *Consuanetes.* & eidem Ptolemæo dicuntur eadem formatione Rhætorum populi Σουανῶν. qui Plinio eodem capite sunt *Suanetes.* Corrige item Βενλαῶν in Γενανῶν. ut sunt apud Strabonem simul & Horatium: quorum etiam vitiatum vocabulum apud Plinium esse dixi *Nannes*, pro *Genannes*. Sed & Ὀυίνδελικία Ptolemæi videntur esse Plinii *Virucinales*, quasi οὐρινκινάται. ni fortè & in Plinio scribendi sint *Virunicates.* hæc quidpe incerta sunt. *Catenates* Plinii apud Strabonem, eodem loco, leguntur Κλαυινάτοι, in his verbis: Ἰσχυροτάτη δὲ τῶν Οὐίνδελικίων ἐστὶν ἡ Λικαίων, καὶ Κλαυινάτοι, καὶ Οὐίνδωνες. τῶν δὲ αὐτῶν ὄρων ἔστιν ἡ Κοτανίτις καὶ Κοτανίτις. id est: *Ferocissimi Vindelicorum habiti sunt Licatii & Clautinatii, Venonesque: Rhætorum Rucantii & Cotuantii.* Nec sanè facilè dixeris, utrùm è Strabone apud Plinium rectè legas *Clatenates*; an verò ex hoc apud Strabonem Κλαυινάτοι. Jam verò iterum contra Strabonem in Rhætis numerant 30 *Venones* Plinius ac Ptolemæus: quorum huic dicuntur οὐίνδωνες, illi *Venonetes.* Idem Strabo, paullo antè: Ἰσχυροτάτη δὲ τῶν Κόμων, πρὸς τὴν ἰσχυρὰν τῶν Ἀλπίων ἰδρυμένη, τῆ μὲν ὀρεινῆ καὶ οὐίνδωνες, ἔτι τῶν ἐν πελάγειοι, τῆ δὲ Ἀγρινῶν καὶ Τελεινῶν καὶ Στόνοι. id est: *Supra Comum, quod ad Alpium radiceis situm, hinc Rhæti & Venones versus orientem, illinc Lepontii, Tridentini & Stoni colunt.* Ptolemæus: κατὰ τοὺς ὄρους τῶν Ὀυίνδελικίων καὶ μὲν ἀρκυκλώματα Βελγῶν, καὶ ἰσχυρῶν Σουανῶν καὶ Ἰγυθῶν, καὶ ἡ μετὰ τὴν Καλέκων καὶ Οὐίνδωνες. id est: *Incolunt autem Rhætia septemtrionalia Brixantæ; australia Suanetæ & Riguscæ; media Calucones & Vinrones.* Plinius, prædicto loco: *Rhætorum Venonetes Sarunetesque ortus Rheni amnis accolunt: Lepontiorum qui Viberi vocantur, fontem Rho dani.* Et postea: *Rugusci, Suanetes, Calucones Brixontes, Lepontii Viberi, Nantuates, Seduni, Veragri.* Patet è Plinio atque Ptolemæo, Venones non perti- 40 nere ad Vindelicos. Alios jam hinc locat in Vindeliciâ populos Strabo, eodem loco, his verbis: καὶ οἱ ἑσπερίων δὲ τῶν Οὐίνδελικίων εἰσὶν, καὶ Βελγῶν καὶ πάλαι αὐτῶν Βελγῶν καὶ Καμπιδυνοῦ, καὶ ἡ τῶν Λικαίων ὡς περὶ ἀκρόπολιν Δαμασκία. id est: *Vindelicorum etiam sunt Estiones & Brigantii: opidaque eorum Brigantium & Campodunum, & Licatiorum veluti arx Damascia.*

Sed experiamur tandem, ecquid singulis Vindelicorum populus suas designare possimus sedeis. LICATES, sive LICATII, Licum amnem accoluere; teste Ptolemæo, suprâ citato. Vocabulum eorum vitiosè in Strabonis exemplaribus scribi iudico per geminum τῶν Λικαίων, quum Plinio sint *Licates*, & Ptolemæo *Λικαίοι*: ut & apud ipsum Strabonem prædicti Κλαυινάτοι, qui Plinio *Catenates*; & eodem libro inter Belgas Ἀρεβάτοι, qui Plinio, Cæsari, aliisque *Atrebatæ*, Ptolemæo Ἀρεβάτοι. 50

*Brigantium* equidem opidum, quod hodiè vulgò est *Bregenz*, ad lacum quem Rhenus transit, Strabo facit Vindelicorum. at è diverso Ptolemæus, lib. II, Rhætis id tribuit, in horum descriptione; libro verò V III eorundem etiam facit caput. Verùm huic rarò aliàs tuta fides. heic autem eâ ratione id factum puto, quòd Rhætiam illam Romanis latius inter Rhenum & Aenum sumtam intellexerit; cujus univèrsæ princeps urbs *Brigantium*. Sic Plinius, lib. IX, cap. XVII: *Proxima est hâ mensa generis dumtaxat mustelarum: quæ (mirum dictu) inter Alpes quoque lacus Rhætia Brigantius amulas marinis generat.* Et Solinus, cap. XXI V: *Si Thracia è Gallia petenda; excipit ager Rhæticus, opimus & ferax, Brigantino lacu nobilis. inde Noricus.* Strabo, lib. VII, de eodem lacu: Ἡρεσπῶν δὲ Ἰλμυῶν ἐπὶ ὄρεσιν ἰσχυρῶν οἱ 60



ῥαιπὶ, τὸ ἢ πλείον Εἰληθῆσι καὶ Οὐινδελικῶσι· id est: *Lacum Rhati exiguâ ex parte, plurimâ Helvetiâ ac Vindelici attingunt.* Si igitur *Brigantium* fuit *Vindelicorum*; certè *Rhati* perexiguâ parte lacum attigerunt: nempe à dicto opido *Bregenz*, seu amne cognomine, paullo ultra *Rheni* confluentem ad vicum usque *Roschach*, terminum inter *Rhatos* *Helvetiosque*. reliquum lacus orientale latus, ad limitem usque *Alemannorum*, *Vindelici* accolerunt. Atque hinc cognomentum etiam lacui *BRIGANTINO* quaesitum; quia *BRIGANTII* populi, ab opido *Brigantio* nuncupati, omne hoc litus tenuerunt, & proxima hinc montana ad opida usque *Ravenspurg*, *Schüslenried*, & *Pfullendorf*. Terminus igitur hac parte *Vindelicos* *Rhatosque* inter fuit praedictus amnis *Bregenz*.

10 Jam verò, quia *Licetiorum* fuit *Damasia*, & *Brigantiorum* *Brigantium*; *ESTIONUM* arbitror fuisse *Campodunum*: quod nomen etiam nunc retinet, vulgò *Kempten*; de quo plura potest dicentur. *Estionibus* igitur, mediis inter *Brigantios* atque *Licetios*, sedeis tribuo in vallibus *Ilari* amnis.

Postremi *Vindeliciae*, jamque *Aenum* accolentes, fuere alienigena gens *BOJI*, in *Augusti* *Caesaris* principatu, quum à *Marcomannis*, *Marobodu* duce, ut *Germaniae* lib. III, capitibus III & XXX ostensum, *Bojohæmo* pellerentur, in has oras transgressi; quas in hanc usque diem clarissimo jam nomine obtinent, vulgò *Bojaren* sive *Bajaren*, & contra-ctè *Bairen*, Latine verò loquentibus *Bavari* dicti. Fallitur quidpe quamvehementissimè, doctissimus cetera *Boicarum* scriptor, *M. Velserus*; qui, quid iis factum, aut quò gentium

20 *Bojohæmo* pulsi concesserint, quum apud neminem veterum auctorum disciceret, non regione, sed regno ac dominatu eos pulsos interpretatur: ita, uti nihilo minus *Priscis* *sedibus* in *Bojohæmo* manserint. eaque ratione, quidquid ubique auctores de *Marcomannorum* rebus gestis narrant, ille in *Boicis* suis recenset, tamquam in parte semper fuerint & *Boji*. quæ, ut falsa atque aliena, si demas, ingens operis pars peribit. In proximos, ut dixi, *Vindeliciae* agros, quos etiam nunc tenent, transisse, ostendit haud perinde obscure

30 *Strabo*, in libris IV & V II. Verba ejus, lib. IV, quæ *Junio* *Silano* *C. Norbano* *Cos* s. s., id est, sexto *Tiberii* imperatoris anno, tricesimo tertio anno postquam hæc regiones à *Romanis* devictæ, sese scripsisse, ipse ibidem testatur, hæc sunt: τὰ ἢ πρὸς τὸν Ἰσθμὸν τῆς Ἰταλίας, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς Ἰταλίας, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς Ἰταλίας, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς Ἰταλίας, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς Ἰταλίας. id est: *Parteis* verò *Alpium*, quæ ortum solis prospiciunt, & item quæ ad meridiem conversa sunt, *Rhati* ac *Vindelici* tenent, *Helvetiis* atque *Bojis* finitimi; quorum campis imminet. *Helvetiis* erant contermini utrique: at *Bojis* *Vindelici* tantum. Falluntur item ii, qui ex *Bojohæmo* pulsos *Bojos* in eas *Germaniae* *parteis* concessisse docent, quas nunc *Bavarorum* pars circa *Nabum* flumen in superiore *Palatinatu* tenent. *Tacitus* namque, in libro de *Germaniâ*, diligentissimus *Germaniae* populorum enarrator, acutissimusque censor, *Nariscos* heic collocat, ut *Germaniae* lib. III, cap. XXIX, ostensum: de *Bojis* verò nulla ei hoc situ mentio: quum tamen *Gothinos*, ultra *Bojohæmum* in orientem versus incolentes, è *lingvâ* *Gallos* esse arguat, & *Ofos* *Pannonios*. Fuisse eodem situ *Nariscos* *M.* etiam *Aurelii* *Antonini* imperio, patet ex *Julio* *Capitolino*; apud

40 quem hæc leguntur verba: *Gentes omnes, ab Illyrici limite usque in Galliam conspiraverant; ut Marcomanni, Narisci, Hermunduri.* Incoluisse tamen postea has *Nariscorum* sedeis *Bojos* jam circa annum à nato cæli terrarumque *Domino* CCCCLXXIII, liquet ex *Jornande*: qui, *Gothorum* res sub *Leone* *Glycerioque* imperatoribus gestas enarrans, *Sveviam* finibus describit hujusmodi: *Danubium congelatum Theodemir Gothorum rex cernens, pedestrem ducit exercitum: emensoque Danubio, Svevis improvisus à tergo apparuit. nam regio illa Svevorum ab oriente Bajorios habet, ab occidente Francos, à meridie Burgundiones, à septentrione Thuringos.* *Svevos* heic cum intelligere, qui antea proprio nomine *Hermunduri* adpellabantur, *Germaniae* lib. III, cap. XXVIII, pluribus ostendi documentis. Errat heic jam iterum *Velserus*; qui *Bojos*, circa ea demum tempora à *Venedorum* parte *Czechis* *Bojo-*

50 *hæmo* pulsos, ad *Nariscos* abiisse censet. Fuisse *Justiniani* imperatoris tempestate *Bojos* in dictâ *Vindeliciae* parte, testatur haud ita obscure *Paul. Diaconus*, rer. *Langobard.* lib. I, cap. IV: *Et hæc quidem, inquit, mala intra Italiam tantum, usque ad sineis gentium Alemannorum & Bojoariorum, solis Romanis acciderunt. Inter hæc Justiniano principe vitâ decedente, Iustinus minor rempublicam apud Constantinopolim regendam suscepit.* Horum autem *Alemannorum* *Bojoariorumque* sineis ita *Eginhardus* in vitâ *Caroli* *Magni* designat: *Lechus fluvius Bajorios ab Alemannis dividit.* Nam & *Alemanni* jam ante *Justiniani* tempora ex *Germaniâ* partim in *Vindeliciam*, partim in *Helvetiam* transierant. Certum igitur est, *Bojoarios* *Nabum* accolentes è *Vindeliciâ* demum eò transmigrasse: in *Vindeliciam* autem jam inde ab *Augusti* *Caesaris* temporibus transisse. Ceterum apud *Diaconum*, lib. III, cap.



cap. xxx, hæc leguntur: *Noricorum provincia, quam Bojoariorum populus inhabitabat, habet ab oriente Pannoniam, ab occidente Svaviam, à meridie Italiam, ab aquilonis verò parte Danubii fluenta.* Ex quibus colligere dabatur, Bojos Bojohæmo pulsos, non in Vindeliciam, sed in Noricum transisse; ni malum atq; imperitum harum partium geographum manifestò se proderet Paullus memoracione Svaviæ: quæ certè numquàm ad Aenum, Noricorum terminum, pertinuit. Norici igitur vocabulo ille Vindeliciam quoque accensuit, in quâ nunc *Bavaria*, Sveviæ contermina. Verùm **BOJORUM** ex Bojohæmo sub Augusto Cæsare in Vindeliciam commigrationem hætenus adseruisse sufficiat. Nomen eorum postea in Vindeliçia variè ab inferioris sæculi scriptoribus formatum fuit: quibus passim dicuntur **BOJOARII**, **BOJOVARI**, **BAJOARTI**, **BAJOVARI**, **BAJUARI**, **BAJOBARI**, **BAIBARI**, **BAIVARI**, & postremùm **BAVARI**; ex quo quibusdam nugandi occasio arrepta, nomen hoc ex *Bojis* & *Avariis* esse compositum.

Reliquorum populorum, *Consuænetum*, *Catenatum*, *Virucinatium*, & aliorum, quos supra enumeravi, nomina nullis certis sitibus adsignari possunt: ad eò nulla eorum extant indicia, vel vestigia; & nugari in incertis non libet. Terminum tamen Vindeliçie fuisse cenfeo ab meridie, primùm supra dictum amnem *Bregen*; hinc montium jugum, quod inter *Lichum* & *Aenum* ad *Isari* usque fonteis & opidum *Innespruck* protenditur.

## CAPUT IV.

## De opidis VINDELICIE.

20

**V**INDELICIE situ, finibus, ac populis explicatis, proxima sit cura, opida ejus indicare. In his primum locum jure mereatur id, quod jam ab initio caput gentis fuit, postea verò, quum in provinciam Romanorum redigeretur ipsa terra Vindeliçia, coloniæ Romanæ nomen ac dignitatem adeptum est. De hoc ita Tacitus, in libro de Germaniâ: *Propior Hermundurorum civitas: fida Romanis; eòque solis Germanorum non in ripâ Danubii commercium, sed penitus, atque in splendidissimâ Rhatie provinciæ coloniâ.* Unam solam fuisse coloniã, satis apertè testatur, dum nomen ejus nullum proprium indicat. Ptolemæo, qui proximus à Tacito geographica sua nobis reliquit, Vindeliçie recensetur urbs *Αὐγῦστὴ Οὐινδελικῶν*, **AUGUSTA VINDELICORUM**. quod 30 vocabulum *Augustæ* nullis opidis nisi coloniis fuisse tributum, vel pueri in scholis noverint. Hæc igitur illa Taciti *splendidissima Rhatie provinciæ coloniâ*. Esse eam, quæ nunc inter splendidissimas magnificentissimasque Germaniæ urbeis vulgò vocatur *Augßburg*, ipsum nomen disertè indicat. Sic *Augusta Rauricorum* apud Rheni lævam ripam, vi millibus passuum supra *Basiliam*, vulgò nunc dicitur vicus *Augß*. Sed & situm illius haud obscurè Tacitus monstrat. qui erat *non in ripâ Danubii, sed penitus*, id est, intus in provinciâ. Et huc itineraria, quæ mox producã, cuncta conveniunt. Ceterò in capita gentium devictarum deduxisse Romanos coloniã, cuius historias eorum legenti dispicere facilimum est. Sic *Augusta Taurinorum*, *Augusta Prætoria*, *Augusta Rauracorum*, *Augusta Treverorum*, *Augusta Sueffonum*, *Augusta Veromandorum*, & aliæ coloniæ, suæ quæque gentis jam 40 antea fuere capita. Ad eundem igitur modum haud dubiè & *Vindelicorum Augustæ* suæ gentis, etiam ante coloniã deductã, fuit caput. Velferus, postquam multum circa primam hujus urbis originem nequidquã laboravit, tandem in hæc verba concludit: *Locus, in latissimâ planitie clementer editus, prope Vindonis & Lyci confluvium, Danubio ad commoditates vicinus, nec expositus nimiam propinquitate ad pericula Germanicarum incurfionum, Vindeliçie meditullio. nomen Augustæ inditum; Vindelicorum cognomen additum, differentiã aliarum urbium, quæ eodem nomine adpellatæ.* Dubia mehercules & ambigua sententia; ubi nescias, opidum jam antea existisse, an tunc demùm à Romanis conditum intellexerit. quamquã in præcedentibus doceat, Romanos etiam nova nonnumquã deducendis coloniis opida excitasse. Quam mentem de Vindelicorum Augustâ si habue- 50 rit, errasse eum, vehementer ego vereor. quidpe, præter rationem modò allatam, Strabonis quoque verba ex lib. iv supra citavi ista: *Καὶ οἱ Ἑπίωνες ἢ τῶν Οὐινδελικῶν εἰσι, & Βεργάσιοι ἢ πλείους αὐτῶν Βεργάσιον, & Καμποδῆνον, & ἢ τῶν Λικαλίων ὡς περὶ ἀκρόπολιν Δαμασία*. id est: *Vindelicorum sunt etiam Epiones, & Brigantii: opidaque eorum Brigantium & Campodunum; & Licatiorum veluti arx Damasia.* **DAMASIA** igitur procul dubiò Vindelicorum Licatiorum caput. idque Augustæ ad Licum amnem germanum genuinumq; nomen, antequã coloniã devictis Vindeliçis Augusti auspiciis eò deducta fuit. Huc accedit, quòd aliàs Strabo Augustæ nullam facit mentionem: quæ, ut præcipua jam ejus ætate & clarissima totius Vindeliçie urbs, nullo pacto erat silentio transmittenda. nec *Damasiã* ullus alius auctor memorat: scilicet,